



OBSERVATIO I.

De primi et secundi diplomatis conditore Adelberto Archiepiscopo
Moguntiaco.

Adelbertus, duorum priorum documentorum conditor, fuit primus huius nominis Archipraesul Moguntiacus. *Ruthardo* Archiepiscopo anno MCIX. mortuo designabatur in eius locum *Adelbertus*, 1) incertum, utrum libera capituli electione, an accedente aliquo *Henrici V.* Imp. coactu. Tunc enim Imperator omnes nervos in eo contendebat, ut potestatem, Episcopatus conferendi, patri suo a summis Pontificibus negatam recuperaret, 2) quam ob rem illum huic electioni certum statuisse modum a vero eo minus abluere videtur, quo magis constat, antea *Adelbertum* Imperatoris Cancellarium, quin immo *primum inter primos eius fuisse praecordiale consiliarium*, 3) *sine cuius consilio nil facere solebat*. 4) Quanto feruentius ante quam ad Archipraesulatum proueretur, stabat a partibus *Henrici V.* contra Pontificem *Paschalem*, ita, ut et ei auctor captiuitatis huic in ipsa Roma illatae exstiterit, 5) tanto perfidiosius postea egit aduersus *Henricum*, non modo ipsi ipse resistendo in iuribus imperatoriis contra sedem Romanam vindicandis, sed et alia Imperii membra pro viribus corrumpendo. 6) Quibus tandem lacesitus Imperator illum carcere triennali 7) in castro

- 1) Serrar. Rer. Mogunt. Lib. V. pag. 802. et ap. Ioann. in S. R. Mogunt. Tom. I. pag. 534.
- 2) vid. eruditiss. Schmidt, S. Caes. Maiestatis tabularii Viennensis custodem, in Hist. Germanor. Part. II. Lib. V. Cap. 7. p. 341.
- 3) Otto Frising. Chron. Lib. VII. Cap. 14. ap. Vrsif. S. R. G. Tom. I. pag. 147. edit. Wechel.
- 4) Conrad. Ursperg. ad a. 1112. p. m. 256. edit. Basil. de 1569.
- 5) Teste Otton. Frif. l. c.
- 6) Helmold. Chron. Slauor. Lib. I. Cap. 40. ap. Leibniz. in S. R. Brunf. Tom. II. p. 573.
- 7) Annal. Hildeshem. ad a. 1115. ap. Leibniz. l. c. T. I. p. 739.